



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iudicium De Articulis Confessionis Fidei Anno M. D. XXX.  
Caesar. M. Augustæ exhibitis, quatenus scilicet à  
Catholicis admittendi sint aut reiiciendi**

**Hoffmeister, Johann**

**Coloniæ, 1559**

**VD16 ZV 17723**

De Eucharistia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34289**

## ARTICVLVS IX.

Quod verò ad Cæremonias non minùs  
pias quàm vetustas spectat, Ecclesiã Ca-  
tholicam habent aduersariam si modo ali-  
cuius momenti faciunt Ecclesię columina,  
priscos dico patres, Chriſto: August. Di-  
ony: Hiero: & eius notæ alios innumeros.  
Cæterum quoniam de Cæremonijs nobis  
restat proprius Articulus, quæ dicenda fo-  
rent in suum locum reſeruemus, ad sequen-  
tem Articulum decimum, qui est de eucha-  
ristia accedentes?

## DE EUCHARISTIA Articulus. X.

**D**E cœna Domini docet, quod  
corpus & sanguis Christi verè  
adsint, & distribuantur vescentibus  
in cœna Domini & improbant se-  
cùs docentes.

F. Ioan. Hoff.



In hoc igitur articulo con-  
fidentur aduersarij nobiscù  
quod in Cœna verè & sub-  
stantialiter adsint Corpus &  
sanguis Domini nostri Iesu  
Chri-

## ARTICVLVS X.

Christi: & verè exhibeantur cum illis rebus quæ videntur, pane & vino: & eius fidei adducunt testes Ecclesiam Græcam, Patres item tam Orientis quàm Occidentis. Hac porrò in re, nisi forte nobis verborum similitudine imponere velint, non Ecclesiam Catholicam, sed Sacramentarios & Anabaptistas habent hostes, & his ipsis diebus, vtcunq; tergiuersentur, vtcunq; interpretationes comminiscantur, vtcunque retractent. Fugite, ò pueri, ait ille. Quod verò dico ipsos non habere Ecclesiam aduersantem, non respicio ad priora illorum scripta, id quod non semel testati sumus, sed ad hunc Confessionis libellũ, vbi dicunt, Corpus & Sanguinẽ Domini verè exhiberi cū illis rebus quæ videntur pane & vino. Hoc enim intelligo illos velle, quod nostri dicunt, sub speciebus panis & vini exhiberi verè corpus & sanguinem Domini. Ad hanc interpretationem me duxit, quod apologia Cyrillum præcipuè nominat, & Græcam Ecclesiam in testem vocat. Quis autem nesciat Cyrilli sententiã in hoc Augusto & sacrosancto negotio? Quid Chrysostomus & huius abbreviator Theophylactus, quid Ambrosius, quid Ioannes Damascenus docuerint,

ARTICVLVS. X.

cuerint, tot tantorum virorum lucubra-  
 tiones clamant. Chrysoftomi interpres, trā-  
 smutationem, Theophilacti verò, transele-  
 métationem in Eucharistia habet. D. item  
 Ambrosius in libris de Sacramentis (qui e-  
 tiam ipsi Philippo probantur) apertè tranf-  
 mutationis meminit. Sic Damascenus nō  
 semel tantum scribit, quod panis & vinum  
 transmutatur in corpus & sanguinem Do-  
 mini, sed hoc modo inscrutabili. Nihil e-  
 nim amplius cognoscim⁹, quàm quod ver-  
 bum Dei verum est, & efficax & omnipo-  
 tens. Collegit Philippus ipse Patrum sentē-  
 tias super Eucharistia, ad quas pium lecto-  
 rem remitto. Extant itē lucubrationes piæ  
 & eruditæ D. D. Guimundi & Algeri, qui-  
 bus hoc negotium exactissimè tractatur.  
 Quod ad sacrificij rationē attinet, quando  
 de Missa disputatio instituenda venit, co-  
 piofius disputabimus. Ego in puris & sa-  
 nis Articulis excutiendis, sicut hactē-  
 nus, breuis. me expediam. Det Do-  
 minus vt quod voluit summæ  
 cōcordiæ esse Symbolū, nul-  
 las post hac inter Chri-  
 sti fideles excitet  
 discordias, Amē.

Ortho-  
 doxæ Fidei  
 lib. 4. cap. 42

De Con-